

Krzysztof Tyburowski

Legis naturalis essentia apud nonnullos scriptores primi aevi Ecclesiae : lineamenta generalia

Resovia Sacra. Studia Teologiczno-Filozoficzne Diecezji Rzeszowskiej 13, 35-47

2006

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

Resovia Sacra R. 13 (2006), s. 35-47

Ks. Krzysztof Tyburowski

**LEGIS NATURALIS ESSENTIA
APUD NONNULLOS SCRIPTORES PRIMI AEVI ECCLESIAE –
LINEAMENTA GENERALIA**

1. introductio

Quod ad legis naturalis quaestionem attinet et ad usum eius in scientiis ethicis, praecipue in theologia morali, docti viri vident hodie plura dubia ac incerta potius quam axiomata. Quae peculiariter in tribus quaestionibus criticis notantur: prima spectat ad ipsius legis naturalis naturam biologicam, secunda ad legis naturalis immutabilitatem ac universalitatem, tertia tandem pertinet ad significationem legis in anthropologiae christianaе cuiusdam contextu¹. Dubia manifestantur praecipue in naturae biologicae naturalis legis notione. Non est perspicue explanatus nexus inter hominis biologicam partem et eius rationalem structuram. Apertum est etiamnum et inexploratum problema conexionis inter legis naturalis dimensionem biologicam et spiritualem. Porro reprehenditur etiam atque etiam notio legis naturalis, quae nimis coniuncta est cum humanae naturae metaphysica visione. Legis naturalis conceptio elaboratur in essentiae hominis contextu et eo modo agnoscuntur universalitatis et immutabilitatis proprietates huius legis. Sed ex altera parte huic sententiae opponi videntur aliquae animadversiones. Itaque exempli causa, videtur legem naturalem mutari secundum tempora et secundum spatiū. Ethnologia monstrat enim nonnullos habitus naturales esse in una natione, et non esse naturales in altera. Altera ex parte historia exemplum dat nobis, quod conditiones et consuetudines quae putabantur natura-

¹ Cfr. D. Lanfranconi, *Legge naturale*, in : *Dizionario Teologico Interdisciplinare*, Casale Monferrato 1977, vol. 2, p. 371.

les in uno tempore, non tales in altero historiae momento erant. Multae sunt res, quarum *naturalitas* ponitur in cultura et aetate historica. Qua de causa naturalis legis visio metaphysica hodie nonnullis tamquam incompleta et superficialis videtur². In his vix mentionibus quodammodo hic factis, quomodo collocari potest legis naturalis notio christiana? Manifestum est omne genus humanum ad salutem universalem vocari. Redemptio ipsa omni homini gratis ex inexhaustibili fonte redemptionis Salvatoris Iesu Christi data est. Altera ex parte, omnis homo vocatus est ad participem gratiae redemptionis esse, ut salutem obtineat. Quod humanum auxilium innititur morali modo agendi. Quare igitur nativa lex naturalis non aequalis est omnibus, si omnium rationes agendi moralis aequales sunt? Aut lex naturalis omnibus aequalis est, aut omnia sunt relativa. Existunt etiam in hodierna doctrina morali catholica nonnullae inclinationes ad non fundandas normas ethicae christiana super legem naturalem, quia revera nescitur quod lex naturalis sit. Qua de causa, iuxta nonnullorum opinionem, Ecclesia huius temporis annuntiare non potest alias normas morales, quas fundamentales habet, quibus omnes homines obnoxii esse debeant, sine differentia quadam cuius religionis sunt, vel forsitan religionis sunt nullius. Negatio igitur aeternae legis naturalis existendae, magnum periculum est vitae relaxandi moralis et illinc gradualem deminutionem dignitatis humani generis provocare potest, etsi humanitas progreedi velit in progressu technico et materiali tantum, et tandem mundum ad veram et propriam calamitatem adducere.

Nihilo minus Ecclesia sententiam suam fortem et claram exprimit, esse *aliquid* omnibus hominibus commune. Quod commune principium speciali modo ad normas morales spectat. Hoc *aliquid* commune in conscientia continetur et in praeceptis moralibus exprimitur, quibus omnes reguntur. Iam ex eo, quod omnes homines eadem lege naturali cordibus inscripta reguntur, facilius intellegitur, quare *Concilium Vaticanum II* de lege naturali ex professo tractans - praesertim in Constitutione *Gaudium et spes* – ita perspicue dicit :

In imo conscientiae legem homo detegit, quam ipse sibi non dat, sed cui oboedire debet, et cuius vox, semper ad bonum amandum et faciendum, ad malum vitandum eum advocans, ubi oportet auribus cordis sonat : fac hoc, illud devita. Nam homo legem in corde suo a Deo inscriptam habet, cui parere ipsa dignitas eius est et secundum quam ipse iudicabitur³.

² Cfr. Ibid., p. 372.

³ Concilium Vaticanum II, *Gaudium et spes* 16.

2. legis naturalis descriptio

Principia rerum requirenda sunt, ut possit haberi notio earum. In disputatiuncula hac conamur hanc vastam quaestionem saltem tangere. Incipimus a doctrina sancti Pauli, quae invenitur in paucis locis *Epistulae ad Romanos*, et deinde explanabimus nonnulla Ecclesiae primi aevi Patrum scripta, quae possunt nobis clarescere investigatam quaestionem.

Paulus Apostolus potissimum in versis initialibus *Epistulae ad Romanos*, etiamque in alteris fragmentis sui epistularii commemorat primum munus hominis, qui a Deo creatus est, esse Deum Creatorem totius generis humani agnoscere. Non tractatur hic de divinitate quadam obscurō modo percipienda, sed de Deo uno, qui unicus omnium Dominator est. Hoc munus principale exprimitur etiam in gratiarum actione huic unico Deo agenda et in obedientia divinis praceptis⁴.

Apostolus non dicit nihil novi, exprimit solum clariori modo ea quae iam in Vetere Testamento invenimus⁵. Haec naturalis Dei cognitio non habet fundamentum in revelatione supranaturali, sed hic de vi quadam nativa tractatur, quae per puram pulchritudinis rerum quae creatae sunt analysis, apta est ad cognoscendum Deum opificem omnium.

Notiones quae attinent ad legis naturalis cognitiones videri possunt iam in antiqua lege romana. Legislatio Romanorum differentiam enim videbat quandam inter *ius civile* et *ius gentium*, sed *iuris naturalis* conceptio in sensu legis particularis speciei ignota legislationi romanae fuit⁶.

Stoicorum autem doctrina in lege naturali scientiam quandam nativam generalem videbat, omnibus aequali modo datam, quae ad rationes agendi generaliter spectabat⁷. Apud Ciceronem legimus legem naturalem esse expressionem legis divinae, aeternae et immutabilis. Lex positiva – ad mentem Ciceronis - fructus rectae rationis est. Lex naturalis participatio est vera in lege divina. Dicit ergo Cicero:

⁴ Cfr. L. Ligier, *Péché d'Adam et péché du monde*, Paris 1960, vol. 2. *Le Nouveau Testament*, p. 196.

⁵ Cfr. A. Paciorek, *Człowiek bez Chrystusa w soteriologii Listu św. Pawła do Rzymian*, Tarnów 1995, pp. 256-266; 275-277.

⁶ Cfr. O. Heggelbacher, *Vom römischen zum christlichen Recht : Iuristische Elemente in der Schriften des sog. Ambrosiaster*, Freiburg 1959, p. 11.

⁷ Cfr. Ibid., pp. 10-11.

quibus enim ratio a natura data est isdem etiam recta ratio data est; ergo et lex, quae est recta ratio iubendo et vetando: si lex ius quoque. Et omnibus ratio; ius igitur datum est omnibus⁸.

Lex naturalis, iuxta doctrinam stoicorum, aeterna et immutabilis est, quod opponitur legi positivae, quae mutari potest secundum hominum necessitates.

Doctrina christiana de lege naturali habet nonnulla communia cum philosophia antiqua. Patres Ecclesiae nonnulli, praesertim ex ratione haebraico-alexandrina persuasi erant, poëtas et philosophos paganos multa a Moyse et prophetis transcripsisse. Clemens Alexandrinus, exempli causa, citans Numenium Pythagoreum haec dicit:

*Numenius philosophus Pythagoreus aperte scribit:
"Quid enim est Plato, nisi Moyses Attice loquens?:
Τι/ γα/ρ εεστι Πλα/των, εη/ Μωνση=φ εαττικι/ζων⁹.*

In sua *Apologia I* Iustinus adiungit:

Plato (...) a Moyse propheta mutuatus discit. Antiquior enim Moyses omnibus etiam Graecorum scriptoribus (...). Hinc omnibus videntur inesse veritatis semina¹⁰.

Multi christianitatis antiquae scriptores in legis naturalis argumentum biblicum et philosophicum incumbebant. Legis naturalis res mirabilis in Ecclesiae Patrum theologia stricte conectabatur cum scientia quaedam in humanam naturam a Creatore inserita¹¹. Sribit enim Augustinus:

Quasi transcripta est naturalis lex in animam rationalem, ut et ipsa vitae huius conversatione moribusque terrenis homines talium distributionum imagines servent¹².

Lex haec data est omnibus hominibus sine ulla exceptione, et praecepta huius legis non differunt nec in cultura nec in tempore. Potest ideo dici

⁸ Cicero, *De legibus*, 1, 12, 33.

⁹ Clemens Alexandrinus, *Stromata*, 1, 22, PG 8, coll. 894-895.

¹⁰ Iustinus, *Apologia I*, 44, PG 6, col. 395.

¹¹ Cfr. Augustinus, *Ser. Dom. in Monte*, 2, 9, 32, PL 34, col. 1283: *quis enim scripsit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus?*

¹² Augustinus, *De div. quaest.* 83, q. 53, 2.

omnes homines habere idem fundamentum morale in bono et malo cognoscendo. Augustinus scribit:

quanto iustius dicitur de lege naturae, quam accepit universum genus humanum¹³.

Idemque scriptor adiungit:

Verumtamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe derita est, et nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici potest etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis vel sapere; si hoc est quod dictum est, quia Gentes quae legem non habent, hoc est legem Dei, naturaliter quae legis sunt faciunt¹⁴.

3. pars prima legis naturalis – capacitas Dei

Haec notio in corde inscripta includebat praecepta moralia ad ordinem vitae quotidiana necessaria, sed praesertim dirigebatur ad Creatorem, qua de causa homo capax erat Dei et cognoscendi Deum ac adorandi. Cognitio Dei eiusque adoratio ut functio principalis legis naturalis saepe indicatur a scriptoribus ecclesiasticis. Lactantius, exempli causa, nominat hanc legis naturalis facultatem sapientiam:

quia in homine ratio ipsa perfecta est, sapientia nominatur, quae in hoc eximum facit hominem, quod soli datum est intelligere divina¹⁵.

Ambrosius, Mediolani episcopus, etiam profundius rem explanat:

Nihil est enim quo magis homo caeteris animalibus praestet, quam quod rationis est particeps, causas rerum requirit, generis sui auctorem investigandum putat, in cuius potestate vitae necisque nostrae potestas sit, qui mundum hunc suo nutu regat, cui sciamus rationem esse reddendam nostrorum actuum¹⁶.

¹³ Augustinus, *De natura et gratia*, 2, 2, PL 44, col. 249.

¹⁴ Idem, *De spiritu et littera*, 27, 48, PL 44, col. 230.

¹⁵ Lactantius, *Div. inst.* 3, 10, CSEL 19, p. 203, 6.

¹⁶ Ambrosius, *De off.* 1, 26, PL 16, col. 64C-D. Potest consultari etiam Lactantius, *Div. inst.* 2, 1, CSEL 19, p. 98, 15.

Haec notio nativa, quae se ad Deum convertit, non est posita in causa efficienti humana et communis est omnibus sine ulla exceptione.

Qua de causa homo naturaliter ad supernaturale se convertit et potest, quinimmo hoc est suum negotium principale, Deum cognoscere e pulchritudine creationis. De hac materia tractat Ioannes Chrysostomus in suo *Commentario in Epistulam ad Romanos*, qui scribit:

Τῇ.: ν περι / αυ)του= γνω / σιν ε)χ α)ρξη=φ τοι≤φ α)νθρω↓
 ποιφ ε)νε/θηκεν ο(Θεο.: φ(...).Πο/θεν
 ου⊕ν δη/λη η⊕ν; φωνη.: ν αυ)τοι≤φ α,φ νωθεν α)φη=κεν;
 Ον)δαμω / φ: α)λλ)οƷ φωνη=φ αυ)του.: φ
 ε)φε/λκεσθαι μα=λλον η)δυ/νατο, του=το ε)ποι.ησε, τη.: ν
 κτι.σιν ει≠φ με/σον προθει / φ,
 ω \angle στε και / σοφο.: ν και / ι≠διω↓την, και / Σκυ/θην και / β
 α/ρβαρον δια.: τη=φ ο,φψεωφ
 καταμαθο/ντα τω / ν ο(ρωμε/νων το.: κα/λλοφ, ε)πι / το.: ν
 Θεο.: ν α)ναβαι.νειν¹⁷.

Similiter tractat Theodoreus Cyrensis in sua *Interpretatione* in eandem *Epistulam*:

÷Η κτι.σιφ, φησι /, και / τα.: ε)ν τω= κτι.σει γινο/μενα,
 ω♦ρω / ν ε)ναλλαγαι /, και / μεταλλαγαι /
 καιρω / ν, και / νυκτο.: φ και / η(με/ραφ διαδοξαι /, νεφω / ν
 ω♦δι≤νεφ, α)νε/μων αν⊕ραι, καρπογονι.α
 φυτω / ν και / σπερμα/των, και / τα φλλα οΝσα τοιαν=τα σ
 αφω / φ η(μα=φ διδα/σκει, και / ποιητη.: ν
 ειΣναι τω / ν α(πα/ντων το.: ν Θεο.: ν, και / σοφω / φ κατε/ξ
 ειν
 του.: φ τη=φ κτι.σεωφ οι@ακαφ. ÷Ο γα.:ρ
 πα/ντα δια.: μο/νην φιλανθρωπι.αν πεποιηκω=φ, ου)κ α
 φω
 ποτε αƷ πεποι.ηκεν α)τημε/λητα
 καταλει.ποι. Δια/ τοι του=το, ου)κ ειΣπεν ο(θει≤οφ ≠Απ
 ο/στολοφ, το.: α)ο/ρατον αυ)του=, α)λλα.:
 τα.: α)ο/ρατα αυ)του=, τουτ)ε/στιν η(δημιουργι.α αυ)τ
 ου=,
 και / η(προ/νοια, και / η(δικαι.α ε)φ)

¹⁷ Ioannes Chrysostomus, *In Ep. ad Rom. 3*, PG 60, col. 411.

ε(κα/στ% ψη=φορ, και/ αι÷ παντοδαπαι/ οι≠κονομι.αι.
OvR
 δη.: ξα/ριν συγγνω\μηρ α)να/χιοι οι÷
 τοσου/των με.: ν α)πολαν/σαντεφ διδασκα/λων, ου)δεμι.~
 αν δε.: ο φνησιν ε)κ τοσου/των
 μαθημα/των δεχα/μενοι¹⁸.

Ecclesiae Patres et multi alii auctores, revertentes aliquando ad verba sancti Pauli in *Rom* 1, 20, de stultitia loquuntur istorum, qui quidem possunt Deum cognoscere de rebus creatis, cor suum tamen durum tenent et Deum despiciunt¹⁹.

Scriptor quidam, cuius nomen ignotus nobis est, Romae probabiliter quarto saeculo post Christum natum vivens ac ab Erasmo de Rotterdam Ambrosiaster nominatus, auctor commentariorum in totum *Corpus paulinum* et *Quaestionum Veteris et Novi Testamenti* legem naturalem intellegit capacitatem ingenitam, omnibus hominibus communem. Quae capacitas per intellectus conatum considerans res quae existunt, ducere potest ad certitudinem existendi Dei. Insuper anima humana habet in se notiones quasdam, quae indicant quod sit bonum et quod sit malum. O. Heggelbacher notat in hac Ambrosiastri legis naturalis visione nexum cum aliis scriptoribus ecclesiasticis, exempli causa cum Clemente Alexandrino, Origene, Lactantio et Ambrosio Mediolanensi, qui elaboraverunt similes legis naturalis conceptiones, quibus ideae neoplatonicae ut fundamentum fuerunt. Fuisse forsan opinones neoplatonicae, quae effectum habuerunt in Ambrosiastri de lege naturali doctrina²⁰. Supradictus O. Heggelbacher putat, etiamsi Ano-

¹⁸ Theodoretus Cyrensis, *Interpr. Ep. ad Rom* 1, 20, PG 82, col. 61B-C. Videatur etiam Cyrillus Alexandrinus, *Expl. ad Rom* 2, 20, PG 74, col. 776A-B.

¹⁹ Cfr. exempli causa: Theodoretus Cyrensis, *Interpr. Ep. ad Rom* 1, 22, PG 82, coll. 61D-64A; Cfr. Basilius Magnus, *Ep.* 233, PG 32, coll. 864C-868B; Cfr. Gregorius Nazianzenus, *Orat.* 28 (*theol.* 2), PG 36, coll. 37C-45C; Cfr. Maximus Confessor, *Ambig. lib.*, PG 91, col. 1328A-C; Augustinus, *Exp. quar.*, CSEL 84, p. 4.

²⁰ Cfr. O. Heggelbacher, *Vom römischen zum christlichen Recht*, op. cit., pp. 8-10. Videantur exempli causa sententiae haec: *Der dem Göttlichen zugewandte Mensch trägt von Natur aus in seiner Seele das Verlangen, die den Werken der Schöpfung zugrunde hegende, das menschliche Denken überragende Weisheit zu ergründen und zu verstehen: Eine solche Auffassung lässt den Ambrosiaster mit den frühen patristischen Schriftstellern wie Clemens Alexandrinus, Lactantius und auch mit Ambrosius einig gehen (...). In dieser Weise (wie die Neuplatoniker) versteht Ambrosiaster, der übrigens von der neuplatonischen Strömung unberührt ist, das Naturgesetz als ein allgemeingegebenes, für alle Menschen geltendes, nachdem Origenes die Existenz allgemeiner, der menschlichen Seele sozusagen angebore-*

nymus longe fuit ab ideis neoplatonicis, doctrina alexandrina effectum quoddam habuit in sua legis naturalis notione. Mundus philosophicus et theologicus quarti saeculi aspirabat proprie aëre neoplatonico et, iuxta O. Hengelbacher opinionem, cogitationes iudaicae ac patristicae erant proportionaliter sub magno influxu neoplatonismi.

Aspectus peculiaris, qui emergit in Ambrosiastri scriptis, est legis naturalis particularis species. Anonymus hic huic legi dignitatem praebet maiorem quam qualibuscumque aliis legibus. Deus solus auctor est huius legis, qua de causa omnis lex humana inferior debet esse:

ut ergo ius et timorem legis naturalis confirmet, deum auctorem eius testatur et ministrantes eius dei ordinationem habere²¹.

Lex naturalis superior est etiam lege mosaica, quamquam et haec ultima a Deo quoque data est. Differentia inter legem naturalem et legem Moysi in eo constat, quod lex naturalis aeterna est, lex mosaica autem una ex parte legem illam confirmat, ex altera autem parte vim habet temporalem, quae deinde destinata est ad cessandum. Eandem opinionem invenimus etiam apud Ambrosium Mediolanensem, qui notat:

Maior lex naturae quam legum praescriptio est²².

Lex haec non est scripta, nec promulgata, sed data est a Deo aequo modo omnibus hominibus iam tempore creationis primi hominis, et, sicut notat Ambrosiaster, existebat semper:

quid est sine lege vixisse, cum lex semper fuerit, sicut saepe ostendi²³.

ner Vorstellungen von Sitte und Recht und einen in der allgemeinen Anschauung vorhandenen richtigen Begriff des Sitzengesetzes gelehrt hatte.

²¹ Ambrosiaster, *InRom* 13, 1, p. 419, 2-4; Videantur etiam *Ibid.*, 7, 23, p. 243, 12-15: *quatuor quidem leges nominat. primam legem spiritalem, quae est etiam naturalis, quae reformata est per Moysen et posita in auctoritate; ipsa est lex die;* *Ibid.*, 7, 1, p. 213, 2-3: *non est occultum omnem vitam hominis esse sub lege naturae, quae data est mundo.*

²² Ambrosius Mediolanensis, *De Abrah.* 1, 2, 8, CSEL 32, 2, p. 508. Cfr. quoque Idem, *Epist.* 7, 32, CSEL 82, 1, pp. 58-59: *lex vera non insculpta tabulis, nec aere incisa, sed impressa mentibus adque infixa sensibus; quando sapiens non sub lege sed ‘ipse sibi lex’ est, opus legis in corde suo continens, naturali sibi stilo quadam inscriptione formatum.*

²³ Cfr. Ambrosiaster, *InRom* 7, 9, p. 227, 4-5.

Huius legis praecepta non constant in praescriptis enumeratis, sicut exempli causa in lege mosaica sive in quavis alia lege. Non tractatur hic de re quadam, quae codificatur in humana conscientia modo cuiusvis legis humanae. *Haec lex – affirmat Ambrosiaster – generalis est*²⁴.

Lex naturalis inscripta est in corde humano tali modo, ut omnes homines sine praceptione ulla, sciunt distinguere bona a malis. Lex haec unica est in genere suo et, etsi generalis est, semper tamen in condicionibus singularibus exitus concordes cum Dei voluntate suggerit. Illa, sicut affirmat Ambrosiaster, *ex traduce*, id est per procreationem transmittitur, idcirco omnes qui nascuntur, eam habent in mente impressam. Notitia haec magnae auctoritatis est, quia lex naturalis ab homine deviari potest, oblivious tamen totaliter non potest. Potest quidem neglecta esse, vel deviata sed numquam sine hominis culpa. In profundis animi capax est homo legem naturalem tenere eam inviolatam et vivere secundum eius suggestiones.

In uno ex locis supradictis invenimus aliam magni momenti sententiam sicut leges civiles ab imperatoribus promulgatae, ut dicit Ambrosiaster, timorem excitare debent versus legislatorem in violationis legis casu, simili modo et lex naturalis idem facere debet versus Deum.

Ambrosiaster dat nobis quoque brevem legis naturalis definitionem:

*Primum lex formata in litteris dari non debuit, quia in natura ipsa inserta quodam modo est et creatoris notitia ex traduce non latebat. nam quis nesciat, quid bonae vitae conveniat, aut ignoret, quia quod sibi fieri non vult alii minime debeat fieri?*²⁵

Sicut iam in supradicto loco appareat, Anonymus non dicit quomodo haec notitia nativa inserta sit in corde humano, et nesciens explicare quaestionem hanc scribit *ipsam insertam quodam modo esse*.

In alio autem loco addit:

*semina his legis inesse decrevit naturaliter*²⁶.

4. pars secunda legis naturalis: regula aurea

²⁴ Ibid., 7, 1, p. 213, 3.

²⁵ *Idem, Quaest.* 4, p. 24, 16-21.

²⁶ *Ibidem*, 1, p. 14, 2.

Oriuntur tamen perplexitates in ipsius Apostoli Pauli quaestionibus intellegendis. Queastio legis naturalis in explicando exempli causa *Rom 2, 14ss* tractari solet, ubi Paulus ipsum vocabulum *natura* seu *naturaliter* (*φύσει*) adhibet. Duae quaestiones re vera hic ponuntur: an Apostolus p[re] oculis habeat Gentiles sensu proprio; an asserere intendat homines, de quibus loquitur, reapse *ea quae sunt legis facere* (*Rom 2, 14*) vel *iustitias legis custodire* (*Rom 2, 26*).

Augustinus alteri quaestioni semper affirmative respondit, et quidem iure merito; vix enim aliter intellegi potest saltem assertum versum 26: *si igitur praeputium* (scl. Gentilis) *iustitias legis custodiat, nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur?* Nempe ille censetur esse vere circumcisus et quidem *circumcisio cordis in spiritu non littera* (*Rom 2, 29*).

At alteri quaestioni, saltem a crisi pelagiana, idem Augustinus negative respondit, ad difficultates e controversia ortas facilius solvendas. Una ex parte, iure tenet Doctor gratiae hominem legem observare nos posse nisi ex gratia Christi, ex altera autem parte, non videt quomodo huiusmodi Gentiles gratia Christi pollere possint nisi ex fide explicita in Christum. Ex quo patet Apostolum hoc loco iam non de Gentilibus sensu proprio loqui sed de christianis ex paganitate conversis, quos reapse interdum *Gentiles* nominat (cfr. *Rom 11, 13*). Quidquid est de quaestione etiam nunc inter doctos viros agita, utrum Paulus asserere intendat annon Gentiles, saltem aliquos, hanc legem naturalem observare, omnes antiqui, et ipse Augustinus per totam vitam, non tantum concordes asseruerunt Gentiles quadam lege naturali in corde inscripta pollere, sed etiam miro quodam consensu explicare solent quidnam re vera praecipiat haec lex naturalis, nempe omnia quae includuntur in proximi dilectione, quae in ita dicta *regula aurea* enuntiatur, sive in forma negativa: *quod tibi non vis fieri, ne facias alteri* (cfr. *Tob 4, 15*), sive in forma eius positiva: *omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (cfr. *Mt 7, 12*).

Iustinus martyr, multo ante Augustinum iudicat in nucleo legis naturalis hanc regulam auream contineri. Homo, e natura sua, vitat, quae nocent. Scientiam habet nativam, homicidium, adulterium, fornicationem esse malum. Plene scientia haec deviare potest, exempli causa prava educatione vel moribus, sed legis naturalis nucleus, qui iubet ne faciatur id alteri quod homo sibi non fieri vollitur, etsi devastari potest, non potest tamen destrui totaliter. Praecepta huius legis reapse ad dilectionem Dei et proximi reducuntur:

Deus quae semper et universe iusta sunt totamque iustitiam exhibit in omni hominum genere: omne genus novit adulterium esse

malum et fornicationem et homicidium et quaecumque alia similia. Etiam si omnes ista faciant, non tamen cum ea faciunt inique a se fieri ignorant, iis exceptis quicumque impuro spiritu repleti vel educatione et moribus pravis et legibus malis corrupti naturales notiones amiserunt, eiusmodi homines eadem pati nolle quae sibi alii faciunt, et sibi invicem conscientia inimica ea exprobare quae perpetrant. Quapropter mihi videtur praetare a Domino nostro et Salvatore Iesu Christo dictum esse duobus praeceptis iustitiam omnem et pietatem impleri; sunt autem haec: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex totis viribus tuis, et proximum tuum sicut te ipsum. Nam qui ex toto corde et totis viribus diligit Deum, piae sententiae plenus cum sit, nullum alium colet deum... Et qui proximum diligit sicut se ipsum eadem illi bona atque ipse sibi optabit; nemo autem sibi mala optabit. Is rego qui proximum diligit eadem ei, atque ipse sibi precabitur et navabit²⁷.

Non aliter docet Augustinus in operibus suis. *Doctor gratiae* affirmit legem naturae non posse ignorari, quia ipsa omnibus data est. Veritas haec videtur quidem in nativa sententia, nullum esse, qui faciat iniuriam alteri, nisi qui fieri nolit sibi. Hoc in contextu locum citare oportet ex Augustini *Ennarratione in Psalmum* 118:

si ergo Apostolus secundum legem quam Deus per Moysen populo Israel dedit, ceteris autem gentibus non dedit, sine lege dixit esse ceteras gentes, quid intellecturi sumus in isto psalmo dictum esse: Praevaricantes aestimavi omnes peccatores terrae, nisi intelligamus aliquam legem non per Moysen datam, secundum quam sunt praevaricantes ceterarum gentium peccatores? Quae est ista lex nisi forte illa de qua idem dicit Apostolus: gentes quae legem non habent, et. (Rom 2, 14)? Non immerito praevaricatores aestimantur omnes peccatores terrae. Nullus enim est qui faciat alteri iniuriam nisi qui fieri nolit sibi: et in hoc transgreditur naturae legem, quam non sinitur ignorare, dum id quod facit non vult pati. Numquid autem lex ista naturalis non erat in populo Israel? Erat plane, quoniam et ipsi homines erant; sine lege autem naturali essent, si praeter naturam humani generis esse potuissent. Multo magis ergo praevaricatores facti sunt lege divina, qua naturalis illa sive instaurata, sive aucta, sive firmata est²⁸.

²⁷ Iustinus, *Dialogus cum Tryph.* 93, 1-3.

²⁸ Augustinus, *Ennarratio in Ps.* 118, 25, 4, PL 37, col. 1574. Similem quaestionem legi potest in alia Augustini Ennarratione in Psalmum 57: quandoquidem manu formatioris no-

Neque aliter docet saeculo sexto post Christum natum Gregorius Magnus, ad cuius mentem lex naturalis, data a Deo, Gentiles docet *qualiter erga proximum agere debeat*:

Venit (Dominus) ante legem (mosaicam), quia per naturalem intellectum quid unusquisque exemplo sui qualiter erga proximum agere debuissest innotavit²⁹.

Regulam hanc auream, quae nucleus est totius legis naturalis, noscit Gratianus quoque, qui illam fundamentum omnis legis ponit:

ius naturale, commune est omnibus hominibus omnium temporum, quatenus inscriptum est naturae substantialiter identicae apud omnes et in omnibus epochis (...). Ius autem naturale est quod in Lege et Evangelio continentur, quo quisque iubetur alii facere quod sibi vult fieri et prohibetur alii inferre quod sibi nolit fieri³⁰.

5. conclusio

Lex naturalis secundum Christianitatis antiquae scriptores generaliter duas habet partes: prima ad Deum reffertur, secunda autem ad interhumanas relationes. Legis naturalis vi homo est Dei capax et aperit sponte animam suam ad valores supranaturales. Lex illa deinde inscribit in corde hominis regulas quasdam certas ac immutabiles, quae adiuvant homines ad vitam quotidiam gerendam. Regulae haec continentur reapse in regula quae aurea dicitur, quae iam in forma negativa in Vetere Testamento invenitur: *quod tibi non vis fieri, ne facias alteri* (Tob 4, 15), et deinde in forma positiva, in Novo Testamento: *omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (Mt 7, 12).

Legis naturalis vasta est quaestio, et penitus cognoscenda est praesertim diebus nostris, quando omnes regulae morales in huius temporis mundo

stri in ipsis cordibus nostris Veritas scripsit: Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri (Tob 4, 16). Hoc est antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde iudicarentur et quibus lex non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est et in tabulis quod in cordibus non legebant. Non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant. Idem, Enarratio in Ps. 57, 1, PL 36, col. 673.

²⁹ Gregorius Magnus, *Ho. in Evang.*, 2, hom. 31, 2-3, PL 76, col. 1228.

³⁰ Gratianus, *Concordia discordantium canonum ac primum de iure divinae et humanae constitutionis*, PL 187, col. 21.

imminuntur propter magnum periculum relativismi. Sciendum est tamen legis huius negationem periculum esse magnum omni integrae legislationi humanae, et exinde induci posse in totalem generis humani depravationem. Quam ob rem necesse est profunde renovare legis naturalis doctrinam, scientiarum theologicarum honestam instaurationem promovere et ad rerum principia reverti.

STRESZCZENIE

Istota prawa naturalnego według niektórych pisarzy kościoła pierwotnego – zarys ogólny

Problem prawa naturalnego sprawia dziś dość duże kłopoty nie tylko prawodawstwu świeckiemu, ale także coraz więcej wątpliwości pojawia się w chrześcijańskich naukach teologicznych. Podaje się już dość często pod wątpliwość samo istnienie prawa naturalnego, twierdząc, że sama natura biologiczno-społeczno-etnologiczna wszystkich ludów ziemi jest tak zróżnicowana, że więcej w niej różnic, niż podobieństw. Zdawać sobie trzeba jednak sprawę, że z tak postawionej sprawy rodzi się poważne niebezpieczeństwo zrelatywizowania całej ludzkiej moralności, a to prowadzić może do katastrofy.

Dlatego należy pogłębić problem prawa naturalnego, aby na nowo uświadomić sobie niezmienne zasady, którymi to prawo się rządzi. Jedną z dróg tego uświadomienia jest spojrzenie na problem w świetle źródeł, jakimi są starochrześcijańscy pisarze. Oni mieli tę świeżość umysłu, której niestety pozbawiony jest dzisiejszy świat, i z większą przenikliwością umieли zbadać pewne rzeczy. Opierając się na naturalnym rozumie oraz na objawieniu dochodzili do wniosku, że prawo naturalne to niezmienne jednakowe zasady moralne dane bez wyjątku wszystkim ludziom wszystkich epok. Jądrem tego prawa naturalnego są w zasadzie dwie zasady. Pierwsza otwiera człowieka na nadprzyrodzonosć, dzięki której każda istota ludzka może na mocy swojego rozumu dojść do Boga i poznać Go. Oczywiście nie chodzi tutaj o jakieś nieokreślone bóstwo, ale o Boga jedynego. Druga zasada tyczy się relacji międzyludzkich, które mogą być sprowadzone do tzw. złotej reguły zapisanej w Biblii, zarówno w Starym (Tob 4,15) jak i w Nowym Testamencie (Mt 7,12): *wszystko cokolwiek chcecie, aby ludzie wam czynili, i wy im tak czyńcie.*